

BIBLIOTECA CENTRAL

SEGUNDA PARTE.

NOTA

DE LAS EDICIONES DE LOS SANTOS PADRES QUE MÁS HEMOS
TENIDO Á LA VISTA PARA COMPONER ESTAS LECCIONES.

- Clemente de Alejandría, *edicion de Venecia*, 1757.
Tertuliano, *Paris*, 1608.
San Cipriano, *edicion de Venecia*, 1758.
Lactancio, *edicion de Paris*, 1748.
San Hilario de Poitiers, *edicion Maurina, Paris*, 1608.
San Atanasio, *edicion Maurina, Paris*, 1648.
San Basilio, *edicion Maurina, Paris*, 1721.
San Gregorio Nazianceno, *edicion de Billi, Venecia*, 1753.
San Gregorio de Nyssa, *edicion de Paris*, 1615.
San Efren, *edicion de Venecia*, 1756.
San Ambrosio, *edicion de Paris*, 1614.
San Juan Crisóstomo, *edicion Maurina, Paris*, 1713.
San Jerónimo, *edicion Maurina, Paris*, 1706.
San Agustin, *edicion de M. Migne, Paris*, 1845.
San Gregorio Magno, *edicion Maurina, Paris*, 1705.
San Isidoro de Sevilla, *edicion de Madrid*, 1778.
San Bernardo, *edicion Maurina, Paris*, 1690.

NOTA

DE LAS EDICIONES DE LOS SANTOS PADRES QUE MAS HEMOS
TENIDO A LA VISTA PARA COMPONER ESTAS EDCIONES.

- Clemente de Alejandria, edicion de Venecia, 1757.
- Tertuliano, Paris, 1608.
- San Cipriano, edicion de Venecia, 1758.
- Lactancio, edicion de Paris, 1748.
- San Hilario de Poitiers, edicion Moutier, Paris, 1608.
- San Atanasio, edicion Moutier, Paris, 1614.
- San Basilio, edicion Moutier, Paris, 1751.
- San Gregorio Naxianceno, edicion de Billa, Venecia, 1753.
- San Gregorio de Nassa, edicion de Paris, 1615.
- San Eften, edicion de Venecia, 1756.
- San Ambrosio, edicion de Paris, 1614.
- San Juan Crisostomo, edicion Moutier, Paris, 1718.
- San Jeronimo, edicion Moutier, Paris, 1706.
- San Agustin, edicion de M. Migne, Paris, 1845.
- San Gregorio Magno, edicion Moutier, Paris, 1705.
- San Isidoro de Sevilla, edicion de Madrid, 1778.
- San Bernardo, edicion Moutier, Paris, 1600.

BIBLIOTECA CENTRAL

SEGUNDA PARTE.

LECCION PRIMERA.

Reflexiones de los Santos Padres sobre los fenómenos del alma.

San Atanasio observa y admira los fenómenos de nuestra alma, deslindando, como buen ideólogo, los del orden sensible y los del intelectual: en todo se muestra observador atento y metafísico. (*Orat. cont. Gent.*, tomo I, folio 1.)

No son menos importantes las observaciones que sobre la misma materia hace San Basilio en su homilía *ATTENDE TIBI IPSI*, tomo II, folios 21 y 23.

Primum teipsum cognosce: quæ in manibus sunt intellectu asequere: qui sis, quomodo effectus, ita ut simul et imago Dei sis, et deteriori astringaris: quid illud sit, quod tibi motum attulit, quæ in te sapientia eluceat, quod naturæ aræanum: quomodo loco circunscriberis, ac mens nullo limite includitur, sed in eodem loco manens omnia lustrat ac pervagatur... quomodo mens, eorum opera cum externis versatur, atque externa excipit: quomodo formas recipit: quæ assumptæ rei conservatio, vel memoria: quæ elapsæ recuperatio vel reminiscentia: quomodo sermo mentis foetus est, atque in alia mente sermonem procreat: quomodo sermoni cogitatio impertitur: quomodo corpus per animam alitur: quomodo anima per corpus affectuum particeps fit: quomodo timor eam constringit, præfidentia solvit, mœror contrahit, lætitia diffundit, livor tabe afficit, superbia effert, spes erigit: quomodo iracundia eam in furorem agit, pudor rubore suffundit, partim ebulliente sanguine partim recedente: quomodo perurbationum signa corporibus imprimuntur: quomodo ratio præsidet; quomodo hæc omnia regit, et

moderatur, affectuumque motus lenit ac sedat: quomodo à sanguine et spiratione, id, quod corpore vacat, tenetur: quomodo horum defectio animæ discessio est. Hæc, aut horum aliquid, ò homo, cognitione comprehende. (San Greg. Naz., Orat. XXVI, tomo I, folio 405.) Se ocupa en las mismas reflexiones en su oración XXXIV, tomo I, folio 487.

Videtur enim mens, quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tanquam in cælo Deus; sed cum in aliqua sit cogitatione, commeare ad pectus, et quasi ad secretum aliquod penetrare secedere, ut consilium tanquam ex thesauro recondito, eliciat ac proferat; ideoque cum intenti ad cogitandum sumus, et cum mens occupata in altum se addiderit, neque audire quæ circumsonant, neque videre, quæ obstant, solemus. Id vero sive ita est, admirandum profecto est, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat. Sin autem non est ita, tamen nihilominus admirandum est, quod divina nescio qua ratione fiat, ut ita esse videatur. An potest aliquis non admirari, quod sensus ille vivus atque cælestis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ movilitatis est, ut ne tum quidem, cum sopitus est conquiescat; tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cælum omne collustret, et, si velit, maria pervolet, terras, ac urbes peragret, omnia denique, quæ libuerit, quamvis longe lateque summota sint in conspectu sibi ipse constituat? (Lact. de opific. Dei, cap. XVI, tomo II, fol. 115.)

Pero quien con más frecuencia se ha ocupado en este estudio es San Agustin, profundo y eminente metafísico. Seríamos interminables si hubiéramos de citar siquiera los lugares que pudieran consultarse nuestros jóvenes lectores: nos limitamos á consignar los libros *De Immortalitate animæ*, tom. I, fol. 1021; *De quantitate animæ*, tom. I, fol. 1035; *De Trinitate*, tom. VII, fol. 815; la Epistola VII á Nébridio, tom. II, fol. 68, y los capítulos desde el VIII al XIX del X de sus *Confesiones*, tom. I, fol. 784.

Intus hæc ago, in aula ingenti memoriæ meæ. Ibi enim mihi cælum et terra et mare præsto sunt, cum omnibus quæ in eis sentire potui, præter illa quæ oblitus sum. Ibi et ipse mihi occurro, meque recolo, quid quando, et ubi egerim, quoque modo cum agerem affectus fuerim... Ex eadem copia etiam similitudines rerum vel expertarum, vel ex eis quas expertus sum creditarum, alias atque alias et ipse contexo præteritis, atque ex his

etiam futuras actiones et eventa et spes, et hæc omnia rursus quasi præsentia meditor... Magna ista vis est memoriæ, magna nimis, Deus meus, penetrare amplum et infinitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et vis est hæc animi mei atque ad meam naturam pertinet; nec ego ipse capio totum quod sum. Ergo animus ad habendum seipsum angustus est... Multa mihi super hoc oboritur admiratio, stupor apprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros siderum, et relinquunt seipsos, etc... Magna vis est memoriæ, nescio quid horrendum, Deus meus, profunda et infinita multiplicitas; et hoc animus est, et hoc ego ipse sum. Quid ergo sum, Deus meus? Quæ natura sum? Varia, multimoda vita, et immensa vehementer, etc... (S. August.: *Confess.*, lib. X, capítulos VIII et XVII, tom. I, folios 785 y 790.)

Qui nos condidit Deus, ideo impertivit nobis sermonis usum, ut alter alteri cordis consilia aperiamus, eaque unusquisque propter naturæ societatem communicemus cum proximo, ex abditis cordis recessibus velut ex cellis quibusdam penariis depromentes. Etenim si constarem anima nuda, statim certe cogitationum ope inter nos congrederemur. Quia vero anima nostra carnis tegumento operata, cogitationes producit, verbis opus habet et nominibus, ut ea quæ in reconditiore mentis recessu delitescunt proferat in apertum. Mens igitur nostra simul ut vocem quidpiam significantem apprehendit, sermone velut cymba quadam vehitur, et aërem transvolans, à loquente transit ad audientem. Quodsi nacta fuerit altam tranquillitatem ac quietem, tum sermo veluti portum quemdam placidum ac tranquillum, discipulorum aures subit: sin autem excitatus ab auditoribus tumultus, quasi aspera quædam tempestas contra aspiravit, medio in aëre dissolutus naufragium facit. Date igitur quietem sermoni per silentium. (S. Basilius, homilia ATTENDE TIBI IPSI, tom. II, fol. 16.)

Superioridad de la palabra sobre los demás medios de expresión.

Illud quoque præcipuum, quod soli homines ore exprimimus, quæ corde sentimus. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signantur. Quid est igitur os

hominis nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? Absolvi-
mus velut quamdam humani corporis regiam, in qua sit
licet quaedam quantitas portio, forma tamen universi-
tatis est. (S. Ambr.: *Hexem.*, lib. vi, cap. ix, n. 68; to-
mo I, fol. 119, ed. de Ven., 1781.)

Data vero signa sunt, quæ sibi quæque viventia invi-
cem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus
animi sui vel sensa, aut intellecta quælibet. Nec ulla
causa est nobis significandi, id est, signi dandi, nisi ad
depromendum et trajiciendum in alterius animum id
quod animo gerit is qui signum dat... Signorum igitur
quibus inter se homines sua sensa communicant, quæ-
dam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad au-
rium, paucissima ad cæteros sensus. Nam cum innui-
mus, non damus signum nisi oculis ejus quem volumus
per hoc signum voluntatis nostræ participem facere.
Et quidam motu manuum pleraque significant: et histri-
ones omnium membrorum motivus dant signa quædam
scientibus, et cum oculis eorum quasi fabulantur; et
vexilla draconesque militares per oculos insinuant vo-
luntatem ducum: et sunt hæc omnia quasi quædam ver-
ba visibilia... Sed hæc omnia signa verbis comparata
paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines ob-
tinuerunt principatum significandi quæcumque animo
conciipiuntur, si ea quisque proderet velit... sed innume-
rabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes ho-
mines exerunt, in verbis constituta est. Nam illa signa
omnia, quorum genera breviter attigi, potui verbis enun-
tiare; verba vero illis signis nullo modo possem. (S. Aug.:
De Doct. christ., lib. II, capitulos II et III, tom. III, fol. 37.)

La definicion de la elocuencia que, tomada de San
Agustin, ponemos en la pág. 11, se halla en el cap. I del
lib. I contra el donatista Cresconio. El Santo Doctor expo-
ne y amplía en este libro la idea y definicion de la elo-
cuencia, excitado por la táctica de Cresconio, que pro-
curaba evadir la cuestion principal, sosteniendo que los
donatistas debian abstenerse de entrar en polémica con
San Agustin, cuya elocuencia y nerviosa dialéctica podia
envolver, decia, á cualquiera sostenedor de la buena doc-
trina. (Contr. Cresconium, Grammaticum, lib. IV, l. I,
tom. IX, pág. 445.) El mismo Santo Doctor explica y define
admirablemente la elocuencia en sus libros *De la Doctrina
cristiana*, particularmente en el cuarto, tom. III, fol. 89.

Discurso de la madre del Crisóstomo.

Verum assidue matris illecebræ obstiterunt, quominus
hanc illi gratiam redderem; imo vero, quo minus id be-
neficii ab eo acciperem. Enim vero ubi illa odorata est
me id consilii inire, dextra apprehensum introduxit me
in peculiare sibi domicilium ac me prope lectum, ubi me
enixa fuerat, assidere jusso, emissis lacrymarum fonti-
bus, ipsis lacrymis miserabiliora verba proferebat: his
me gemebunda compellans: Ego, inquit, fili, virtute
patris tui non multo tempore ita providente numine
frui potui. Nam partus tui dolores excipiens illius obi-
tus, te pupillum, me viduam præmature reliquit, addi-
tis viduitatis incommodis, quæ expertis solum probe
nota sunt. Nullus enim sermo, illam tempestatem ac
procellam exprimere possit, quam puella subit, cum
nuper è domo patris emissa, ac negotiorum imperita,
repente luctu intolerabili perculsa, solitudinem ætate
ac sexu suo majorem suscipere cogitur. Opus enim
est servorum ignaviam emendare, nequitiam observare,
cognatorum insidias propulsare, publicanorum moles-
tias, et in vectigalibus exigendis immanitatem fortiter
ferre. Quod si is, qui mortem obit, prolem relinquat, si
sit femina, magnam utique matri curam exhibet; sed ta-
men sumptibus et metu vacantem. At filius sexcentis
quotidie timoribus replet, multisque sollicitudinibus;
mitto enim pecuniarum expensam, quam multam facere
cogitur mater, si liberaliter illum educare cupiat. Me ta-
men horum nullum ad alteras nuptias vel ad alterum in
patris tui ædes inducendum sponsum permovit. Sed in
procella et turbine mansi, ferreamque viduitatis forna-
cem non evasi; primo quidem superno fulta subsidio:
deinde non modico mihi in calamitatibus solacio erat,
quod vultum frequenter tuum aspicerem, ac vivam de-
functi imaginem servarem, quæ illum accurate referret.
Quapropter cum adhuc infans esses, necdum loqui vale-
res; cum maxime pueri parentes oblectare solent, magne
mihi consolationi fuisti. Neque illud mihi vitio vertere
possis, quod licet viduitatem fortiter tulerim, paternas
tamen ob viduitatis incommodum tibi minuerim facul-
tates, quod multis in orbitate infeliciter accidisse novi:
nam illas tibi integras servavi, licet nihil eorum sump-
tuum prætermiserim, qui ad liberalem institutionem tuam

necessarii erant; idque ex facultatibus meis, exque pecuniis, quas è domo paterna attuleram. Ne vero putes me tibe exprobrantem hæc dicere: sed pro his omnibus unam postulo gratiam, ne me altera viduitate involvas, neu sopitum jam luctum denuo excites: verum mortem expectes meam; hinc fortasse brevi emigrandum mihi erit. Nam juvenes quidem ad provectam perducere senectutem sperare possunt; nos autem qui consenuimus, nihil aliud, quam mortem præstolamur. Cum itaque me terræ traderis, patrisque ossibus admiscueris, longas suscipito peregrinationes, et quoscumque volueris pelagus trajicito: nemo tunc prohibiturus est. Cæterum donec respiramus, contubernium meum ne respuas; neu in Dei offensionem temere incurras, dum nos, nihil tamen læsus à nobis, tot malis involves. Etenim si conqueri potes, quod te ad mundanas curas pertraham, ac negotiis prospicere tuis cogam, ne leges naturæ, ne educationem, ne consuetudinem neu aliud quidpiam reverearis, sed nos tanquam insidiatores et inimicos fuge; sin vero nihil non agimus, ut tibi otium paremus ad vitam instituentiam; si minus aliud vinculum certe hoc unum te apud nos detineat. Nam etiamsi te à sexcentis aliis amari dicas, nullus tibi tantam libertatem procuravit, quandoquidem nemo est, cui existimatio tua æque ac mihi, cara sit. (S. Joann. Chrys.: *De Sacerdotio*, lib. i, n. 5, tom. i, fol. 363.)

La interesantísima carta de San Bernardo á su sobrino Roberto, que hemos citado en la página 11, se halla en el tom. i, fol. 1 de las obras del Santo.

Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per quandam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit. Nihil itaque agimus per membra corporis in factis dictisque nostris, quibus vel approbantur vel improbantur mores hominum, quod non verbo apud nos intus edito prævenimus. Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. (S. Aug.: *De Trinit.*, lib. ix, cap. vii, tom. viii, fol. 967.)

Duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum: modus inveniendi quæ intelligenda sunt et modus proferendi quæ intellecta sunt. (*De Doct. christ.*, libro i, cap. i, tom. iii, fol. 19.)

«Nam et res divinas mente consequi arduum et ver-

bis explicare difficile...» etc. (S. G. Nazianc., Orat. XXVI, tomo i, fol. 397.)

Geminum est lectionis studium: primum, quomodo Scripturæ intelligantur: secundum, qua utilitate vel dignitate dicantur. Erit enim antea quisque promptus ad intelligendum quæ legit: sequenter idoneus ad proferendum quæ didicit. (S. Isid. Hispal., *Sent.*, lib. iii, cap. viii, n. 5, tom. ii, fol. 100.)

LECCION II.

El arte auxilia y perfecciona las dotes que tiene el hombre para ser naturalmente elocuente.

«Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes et increpationes, concitationes et cœrcitiones, et quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes fere homines in iis quæ eloquendo agunt facere non quiescunt: sed cum alii faciant obtuse, deformiter, frigide; alii acute, ornate, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, jam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter, ut prosit audientibus, etiamsi minus quam prodesset, si et eloquenter posset dicere. (S. Aug.: *De Doct. christ.*, lib. iv, capitulum iv et v, tomo iii, fol. 91.)

Sunt etiam quædam præcepta uberius disputationis, quæ jam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt quam vis eis possint etiam falsa persuaderi: sed quia et vera possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus